


05

A

1589



Q. D. B. V.

Ad Oraculum Johanneum

De

ΛΟΓΩΙ INSCRIPTUM,

PRÆSIDE

C. S. SCHURZFLEISCHIO,

h. c. Ord. Phil. DECANO,

disputabit

M. GEORGIUS HENRICUS Göthe/ LIPSIENSIS.

IN AUDITORIO MAJORI
EID. SEXTIL.



WITTEMBERGÆ

Prælo MATTHÆI HENCKELII , Acad, Typogr,
ANNO M DC LXXXVII.

VIRIS

*Magnifico, Maximè-Reverendis, Excellen-
tissimo, atque Amplissimis, DOMINIS,*

DNO. SAMUEL I BENEDICTO
CARPZOVI O, Lipsiensi,
DOCTORI. Theologo de Jesu Christi Ecclesiâ præclarè
meritissimo, Proto-Synedrii Electoralis Saxonici Assessori, Dresdæ
ad D. Crucis Pastori, vicinarumqve Ecclesiarum Super-
intendenti amplissimo,

Et

DN. M. PAUL O BOSIO, Lipsiensi,
Theologo & Philologo clarissimo, ac Dresdæ ad D.
Crucis Symmystæ maximè venerabili;

*Dominis, Mæcenatibus ac Studiorum Promo-
toribus certissimis, summōqve honoris & obsequii
cultu per omnem etatem devenrandis,
suspiciendis.*

Schediasma hoc Philologicum
dévoto animo
consecrat

05 A 1589

M. GEORGIUS HENRICUS Göthe/
Lipsiensis,



I.

St VERB U M , qvod semper
fuit ante ætates & secula , uni-
cum atqve unigenum Dei ver-
bum , opifex rerum omnium ,
quæ factæ conditæqve sunt ;
Verbum per se consistens & stabile , Deoqve
conunctum , & ipsius adeò naturæ divinæ con-
sors atqve æternum , qvod omnia regit , fovet ac
tuetur . Qvod non modò non capit humana
ratio , sed ignorat penitus , & qvum sibi indul-
get , vanâ meditatione somnia singit , ipsamq;
se temeritate sua deludit .

II. Altius Plato se evexit contemplatio-
ne rerum divinarum , primusqve omnium ,
qui philosophati sunt , Verbum subsistens com-
memoravit . Ον (νόσμον) ἔταξε λόγος
πάντων θειότατος ὁρατόν . Designat λόγον ,
ut patet ὑποσάγεται , nominatqve τὸν πάντων
θειότατον . Multò aliter atqve in Thæteteto su-

A 2 mit.

mit. Amplius de λόγῳ dicit, ἔταξε, id est, ut interpretor, εἰς τάξιν ἡγαγε, ordinavit visibilemque statuit, sc. mundum, velut ποίησα τεταγμένον, in *Epinomide*. Alibi clarius loquitur, & partum Boni filiumque describit, τόνον τε καὶ ἐνυον τὰς ἀγαθὰς: aliquanto post subjungit, τὸν τὰς ἀγαθὰς ἐνυον, οὐ τὰγαθὸν ἐγέννησεν αὐτῷ λογον ἔαυτῷ, lib. VI. de republica. Igitur nemini mirum videri debet, quamobrem Deus, aut divinus nominari coepit in πολιτείᾳ, apud Ciceronem lib. IV. ep. 16. ad Atticum. Respicit enim libros de republica inscriptos, quos Cicero in Latinum convertit, quanquam hæc interpretatio dudum intercidit, paucis duntaxat relictis eorum fragmentis.

III. Excelsum illud, sublimeque Platoni scribendi genus, posteritas legit ac mirata est, præsertim lecta eruditorum hominum, qui Platonem ducem secuti, doctrinas ejus excepterunt pariter atque ab interitu vindicarunt, Plotinus Ennead. I. V. c. 8. Porphyrius Plotini discipulus apud Cyrillum Alexandrinum contra

tra Julianum lib. IX. & apud Eusebium de
Evangelica præparatione lib. XI. Amelius, qvi
Ioannis, quem barbarum nominat, oraculum
de λόγῳ proditum inspexit, apud eundem: Nu-
menius Pythagoricus περὶ τάγαθά lib. cit. ibi-
dem: Mercurii Trismegisti Poemander cap. I.
οὐέννος Φωτεινὸς λόγος, νίος θεός. cap. IV.
νόσμον ἐποίησεν οὐδημιαργός, & χερσὸν, αλλὰ
λόγῳ. Qvi scriptor Mose omnino recentior
est, qvod colligere licet indicio sententiarum
ex Mose depromptarum. Neque me præ-
terit, verba quædam in Poemandro extare,
quæ non solum post Mosen, sed etiam post Jo-
annem, Christi prænuncium, cognita tritaq;
fuerunt. Ut mihi perqvam sit vero simile,
sec. post natum Christum II. conditum esse hoc
Poemandri volumen, qvod primò Ferrariæ,
deinde Venetiis, postea Coloniæ Agrippinæ
plenè integreqve emissum, sexdecim capitili-
bus continetur.

IV. Quem Plato λόγον, eum vetus Or-
phicorum scriptor ἀνδῆν, reqvirente poëma-
tis lege, appellavit. Neque mihi excidit versus,

A 3 qvem

qvm mirificâ & incredibili diligentia servavit Justinus Martyr, in cohortatione ad Græcos.

'Audij ὄρνις σε πατρός, τὴν Φθέγξατο πρῶτον.

In qua interpretatione priscus doctor mecum conspirat, & ipse vocem mundi effectricem sic exponit. Cui ut fidem habeamus, facit prædicti auctoritas scriptoris, ipsum se versu superiore explicantis. εἰς δὲ λόγον θείου Ελέφασ. in d. parenetico, & in libro de monarchia Dei, nec non Clemens Alexandrinus in protreptico, qvib[us] eadem Orphica recenset. Cæsarius dial. I. Il. lud non præter rem addo, verba, τὴν Φθέγξατο πρῶτον, rectè habere, & linguae metroq[ue] congruere, & meritò retinenda esse. Perperam nonnemo legit, τὴν Φθέγξαντα πρῶτην. Præterqvam enim qvod Φθέγξαντα (ita enim scribere, opinor, voluit) non respondet vocabulo, τὴν αὐδὴν, idonea qvoq[ue] sensus ratio Vatis sententiae non constat.

V Philo Judæus non discrepat à Platonicis, à qvibus ut pleraq[ue] accepit, sic in scripta sua retulit, & nominatim qvoq[ue] notionē sub-

si-

sistendi λόγος mentionem fecit, apud Eusebi-
um in adducto libro de præp. Evang. ubi λόγον
summis sacratissimisque verbis describit, qvod
non dubito, eum didicisse in Ægypto, in qua
vixit, & Alexandriam principem regionis ur-
bem, Platonicorum doctrinā & ingeniiis af-
fluentem, studiis suis nobilitavit. Extat locus
in libro de sacrificiis Abelis & Caini, qvo tradit,
Deum τῷ λόγῳ τὸ πᾶν ἐργαζόμενον. Alibi
etiam τὸν νοῆτὸν κόσμον θεὸν λόγον nominat:
Angelos, qvod sciam, ita non vocat, et si apud
Eusebium λόγον dicit τῶν ἀγγέλων πρεσβύ-
ταρον καὶ αρχάγγελον, quem itidem non cir-
cumscriptæ dignitatis nomine declarat, ac Dei
filium vocat.

VI. Non idem sensit ac docuit Josephus,
quippe qui à doctrina Platonicoium alienus,
ad studium consecrandi allegorias neqvic-
quam deflexit, & plano satis æqvabilique ora-
tionis genere volumina sua condidit: tantum
abest, ut qviequam de Verbo Platonico adde-
ret, ut qvoque nihil de eo in medium afferret.
Diversa fuit Josephi secta, & nihil communie

ha-

habuit cum formulis Platonicis, quales in frag-
mento, quod Josephi nomen præfert, conspi-
ciuntur. Cujus scriptor laudat Platonem, e-
iusque amplectitur sententiam, & quædam tra-
dit religionis nostræ momenta, atq; eopse pro-
dit se Christianum. Atqui Plato nihil tale per-
spectum habuit, quod continet sanctissima
doctrinæ salutaris capita de sinu Abrahæ, &
corporibus à morte excitandis, judicioq; Chri-
sti sistendis. Nusquam ab eo enunciantur
ἀναβίωσις ἐν ζωνῷ, πόληπτοι, οὐρανοί,
καὶ ἀδικοὶ ἐνώπιον τῷ θεῷ λόγῳ αἰχθῆσο-
ται, quæ non congruunt cum dictione Plato-
nis, & aliena sunt ab ejus disciplina & commen-
tatione. Neque verò hoc èo pertinet, ut con-
vellatur veritas periochæ Josephi de Christo
allatæ, cuius longè diversa erat ratio, nec omitti
poterat ab historico tam circumspecto atque
accurato, etsi res ipsa ab animo & voluntate
ejus dissidebat.

VII. Inter Patres Ignatius, Joannis au-
ditor ac discipulus, naturam Verbi subsistentis
non inaniter & solidè exposuit, atque unâ men-
tis

& voluntatis cum magistro consensione, verbis
quamlibet mutatis, descripsit, quām λόγον ἁγίασην,
expreslit, quem alioqui rerum divina-
rum interpres λόγον ὑπάρχειν nominare
consuerunt. Quo sanè modò λόγον ἄντον
exclusit, & veram stabilemque ὑπέσασιν Ver-
bo, ab Joanne descripto, vindicavit. Mox
nominavit ἁγίαν γεννητὴν, atque eopse voca-
bulo designavit naturam *charactere* subsisten-
di definitam, quae est ante ætates & tempora,
ac semper eadem immutabilisq[ue] manet, & ab
omni æternitate existit, per ineffabilem atque
æternam à Deo patre generationem. In quo
proposito insistit Ignatius, & multis ac divini-
tatem probantibus elogiis, scribere pertendit.
Dicitur enim πρὸ διῶν, ἐν συντελείᾳ τῶν
διώνων διαμένων, λόγος θεός, μονογενῆς υἱός,
πατρὸς λόγος διδός, in epistola ad Ma-
gnesios, quæ verum atque indubitatum est hu-
ius Antifititis monumentum.

VIII. Abeant ergo & confundantur
Alogi, qui divina Joannis monumenta repu-
diarunt, atque ex divinis novi instrumenti ta-

B

bu-

bulis prorsus delenda esse, projectâ audaciâ, ac
profligata impudentiâ censuerunt. Qvos confu-
tavit Epiphanius *hæres XXXI.* Illud autem ex
Epiphanio recordari nō possum, qvod *Evange-
lium Joannis ἀδιάθετον* appellârint, perinde ac
existimavit Daniel Heinsius, ea de causa à Jo.
Crojo castigatus, obs. sacr. part.pr. cap. XVII.

XI. Faceant Æones, qvos Valentinus
ab excessu Ignatii confinxit, Joannisqve *Evan-
gelium* ex Hesiodi fabulis, qvas Theogonia
continet, & Pythagoræ Platonisqve commen-
tis, futili juxta & impiâ ratiocinatione deduxit,
atqve ex Bythi & Siges conjugio hæc monstra
processisse contendit. *V. Irenæus aduersus
hæreses lib. I. Tertullianus in libro adv. Valen-
tinianos, & Epiphanius hæres I.* Ignatius
qvidem in epistola jam adducta meminit
στρῆς, sed non aliter, qvam qvatenus nomi-
ne communi effertur. Qvo argumento in-
dicat æternitatem Verbi, qvippe qvod non præ-
cessit silentium, neqve à silentio processit, ut
verba cetera omnia procedunt & exeunt, qvæ
ore proferuntur. Altum hic de sige Valenti-
ni

ni silentium est , neqve illud vocabulum ad se-
riem Aenonum Valentini spectat, sed receptâ &
communi significatione *silentium* notat. Con-
gruit hoc cum doctrina Valentini, qvi non Si-
gen , sed νεῦ & αληθειῶν genitores λόγος men-
daci ore proferebat. Ne dicam, qvod Sige jam-
diu ante Valentini tempora etiam hoc singulari-
& definito nomine cognita , atq; ad significan-
dam Byti συζητίαν traducta fuerit , auctore
Gregorio Theologo , in *Oratione XXIII.* Ul-
tram verò in partem accipias , nihil de auctori-
tate superioris epistolæ detrahetur , qvam vin-
dicant Jo. Pearson , Nat. Alexander , Stephanus
le Moyne , aliiq.

X. Iulianus in Platonis & Poetarum ve-
terum lectione insigniter versatus , multa in
hanc rem egregia atqve observatu digna tradi-
dit, qvæ excerpere nimis longum sit , atqve hoc
incepto alienum. Illud verò non omiserim ,
qvod hostibus veritatem Verbi negantibus ,
& more suo convitum facientibus , ignoran-
tiam stuporemqve objecerit , qvi recordari

debuissent, magistros ipsorum confinxisse in-
terpretem nunciumque à Deo missum, λόγον
παρὰ θεὸν ἀγγελτικὸν, quem Hermen & Mer-
curium celebrarunt: non habere ergo, cur cri-
mini dent Christianis, cœlesti disciplinâ imbū-
tis, quum Verbum Dei æternum afferant, secus
atq; ipsi vinculis superstitionum impediti opi-
nentur. *in Apologia II. pro Christianis.* Suffi-
cere tamen istis abunde coarguendis poterat
exemplum Platonis, qui dum in Ægypto com-
moratus est studio veritatis perqvirendæ ac-
census, in Mosis & divinorum vatum monu-
menta incidit, atque hinc sublimem & recon-
ditam illam de Verbo subsistente & sempiterno
doctrinam cognovit, atque ad posteros scholæ
suæ sectatores & alumnos propagavit. *Vid. Ju-*
ffimus in parænetico laudato. Nihil nunc ad-
dam de nutu Jovis Saturnidæ, quippe quo non
Verbum, sed Dei providentiam significari con-
stat, *apud Homerum Iliad. o. 528.*

XI. Eandem Verbi divinitatem magnâ a-
nimis sanctimoniam & pietate docuit Athenago-
ras,

ras, atque in hoc religionis capite prorsus cum
Justino consensit, adeo ut in utroque & styli &
virtutis doctrinæque similitudinem conspicia-
mus. νές, λόγος, σοφία, οὐ τὸ πατρὸς
καὶ ἀπόρροια, verba ejus sunt, quibus verbum
nominat ac veneratur, & argumento μᾶς νύ-
ριότητος aperte satis plau. θεότητα evincit.
in legatione pro Christianis, quam direxit ad
Marcum Antoninum Aurelium, atque ad
Ælium Aurelium Commodum, Patrem Filiumq[ue]
Augustos.

XII. Origenes quidem se implicat sa-
pe, & in explicatione varius est, figuræque con-
ficiuntur, sed quum tandem à cortice in medul-
lam penetrat, rectè concludit, & asserit Verbi
divinitatem. Nec obscurè, sed palam & claris
apertisq[ue] vocabulis, τὸ εν αρχῇ εἶναι, de æ-
ternitate explicat, nostramq[ue] de hac dictio-
ne sententiam probat. πρὸ παντὸς χρόνου καὶ
αἰώνος, εν αρχῇ ήν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος
ήν πρὸς τὸν θεόν. in explanationibus in Jo-
annem. Jam ante Origenem sic exponi

Athenagoras , & θεος εν εξ αρχης οντας , negat esse ab æternitate , quales sunt Dii γνωμενοι , sive λεγομενοι , de qvibus agit Theodoretus in sermone II. de Principio , & serm. III. de Angelis . Magnum sanè hic monentum habet , qvod Joannes divinâ auctoritate scripsit , ην , non ἐγένετο : illud est τῇ Φύσει οὐτὸς θεος , & τῷ γνεθῇ directo repugnat , apud Origenem d. l. Hoc est θεος παλαιόν , & impropiè dicti , qvi tantum est γνόμενος , & sit constituiturque suffragio , aut munere & officio Deum qvodammodo refert . VI . 38. 4.

XIII. Ergo indubitatum æternitatis argumentum est τὸ ἐν αρχῇ εἶναι , & præterea indicat , ac necessariò infert , τὸ ἀεὶ συνεῖναι τῷ παλαιῷ . In quo suffragatur Origeni Chrysostomus , & eadem significatione explanat , in homilia IV. v. I. Joan. I. ὡσπρες δὲν τὸ ἐν αρχῇ ήν οἱ λόγοι , τὸ αἰδίον δῆλοι δὲτω τὸ , τροπὴν ἐν αρχῇ πρὸς τὸν θεὸν , τὸ συναϊδίον ήμεν ενέφην . In eandem sententiam superio-

riore homil. III. pronunciavit, τὸ ἐν ἀρχῇ ἦν,
τὰς ἔνας αἰδίως μόνοι ἐσὶ δηλωτικόν. Haud
aptè congruenterq; exponunt, τὸ ἐν ἀρχῇ,
per τὸ ἄνωθεν, ut Epiphanius h̄er. xxxiv.
contra Theodotianos. Nam ἄνωθεν ἥκειν,
non est propriè & per se αἰδίως ἔνας. Sensu
tamen congruit, & summā religionis conspi-
ratione æternitatem Verbi alias ingeminat, re-
verenterq; agnoscit. Hinc scribit in heresi
XLII. contra Sabellianos. οὐδὲς ἀεὶ τέλειος
ών, ἀεὶ ἐνυπόσατος, ἐν πατρῷ ἐν ἀληθείᾳ
γεγενημένος αὐτάρχως καὶ ἀχρόνως. Agno-
scit filium συναίδιον καὶ συνυπάρχοντα τῷ
πατέρι, & contra divinitatis Verbi hostes acri-
ter disputat atque constanter. Non discessit
ab hac sententia Theodoreetus, qui nihil non
egit, ut Platonis, quæ huc faciunt, testimonia
afferret, in serm. II. de principio serm. III. de
Angelis, serm. VI. de providentia Dei, ubi
ἀναζητοῦντος, αὐτούς, προαγώνιον dixit Verbum.
Eadem Nonno Panopolitano mens fuit,
qui operam industriamque eò contulit, ut

gra..

gravi & apto' versu exprimeret Joannis sensum, parapbras. cap. i. ἀχροντὸν ήν, αὐτοτρόπον ἐν αρρήτῳ λόγῳ αεχῇ, ισοφυῆς γενετῆρον ὄμηλον, υἱὸς αμήτωρ. A quo recessit exercitator Heinsius, & aliam interpretandi rationem tenuit, exercitat. sacr. lib. iv.
cap. i. Hugo Grotius pariter deflexit, ratus hoc caput, qvo Moses primas rerum conditarum origines recensuit, ex asse hic congruere oraculo Johanneo, *in annot. ad b. l.* Hunc non pridem secutus est Joannes Lightfootus *in hor. Hebr. in Joan. b. l.* Sed qvi cogitatione & industriā acriori in expositionem incumbunt, facile erroris causam animadvertisunt. Utrisqve repugnat Theophilus *in lib. II. ad Autolycum*, & inter poetas Latinos etiam Claudianus Mamertinus, presbyter Viennensis, qvi sub Zenone Augusto vixit, *in carm. contra Poetas vanos*. Sed finem facio, & commentationem hanc concludo scito atqve sententioso Moschopuli dicto. λόγῳ ίδιως ηντ' ἐξαιρέτον, ο τοις θεος υἱός. περὶ σχεδῶν p. 47.

BS(o)58

05 A 1589



Wintz sd.

Farbkarte #13

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Blue																			
Cyan																			
Green																			
Yellow																			
Red																			
Magenta																			
White																			
Black																			

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

D.B.V.

m Johanneum

De
SCRIPTUM,

ÆSIDE

ZFLEISCHIO,

phil. DECANO,

isputabit

HENRICUS GÖTHE/

SIENSIS.

ORIO MAJORI

SEXTIL.



EN BERGÆ
ENCKELII, Acad. Typogr.
DC LXXXVII.

18